

mam fleuisse dicitur, id quosdam olim sustulisse non intel-
ligentes verbi hujus finem ac vim & robur, testis est Epiphan.
in ancorat. p. 954. De Historia adultera Johan. 8. v. 1. scribit
Augustin. libr. 1. de adulterin. conjug. ad Pollent. cap. 7.
in princ. Nonnullos modice aut inimicos vere fidei metuentes pec-
candi impunitatem dari mulieribus suis, eam de Codicibus suis ab-
sulisse, unde Hieron. libr. 2. adv. Pelag. c. 6. pag. 239. in
multis & Græcis & Latinis Codicibus eam inveniri asserit, ex
quo constat, quod non fuerit in omnibus inventa, neque
extat hodie in Syriaca paraphrasi, Euthym in comm. Joh.
8. Historiam illam in quibusdam exemplaribus obelo con-
fossam fuisse dicit.

9. Ad illam classem referendum etiam dictum Johan-
nis 1. Epistol. 5. v. 7. Tres sunt, qui testimonium dant in cælo,
Pater, Verbum, & Spiritus, & hi tres unum sunt, de quo Hieron.
in prolog. Epist. Canon. ad Eustochium memorat, quod
ab infidelibus translatoribus olim fuerit omissum. *Ha Episto-
la (inquit) si, ut ab eis (Græcis autoribus) digesta sunt, ita
quoque ab Interpretibus fideliter verterentur in Latinum eloqui-
um; nec ambiguitatem legentibus facerent, nec sermonum sese va-
rietas impugnet, illo præcipue loco, ubi de unitate Trinitatis in
prima Johannis Epistola positum legimus, in quo etiam, ab infideli-
bus translatoribus multum erratum esse a fidei veritate, comperimus,
tria tantummodo vocabula, hoc est, aqua sanguinis & Spiritus
testimonium omittentibus, in quo maxime & fides Catholica roborat-
ur, & Patris, & Filii & Spiritus sancti una divinitatis essentia com-
probatur.* In quibus Hieronymi verbis tria potissimum notan-
da. 1. tempore Hieronymi locum illum Græcis Epistolarū
Apostolicarum. Codib. extitisse, alias enim non posset La-
tinos Interpp. infidelitatis accusare, quod eum omiserint.
2. in omnibus Græcis Codicib. eo tempore illum fuisse,
alias potuissent illi Interpretes Hieronymo obvertere,
quod non invenerint eum in omnibus Codicibus. 3. Lo-
cum illum ex Hieronymi sententia fidem Catholicam de
Patris, Filii & Spiritus sancti una divinitate maxime robo-
rare.